

Vorrede.

gentiam ea, quæ posuimus, desiderarent, nec exigua cura foris acquirerentur, quæ domi custodiri oporteret: jure, ut dixi, a natura comparata est opera mulieris ad domesticam diligentiam, viri autem ad exercitationem forensam, & extraneam: itaque viro calores, & frigora perpetienda, tum etiam itinera, & labores pacis ac belli, id est, rusticationis & militarium stipendiorum, distribuit: mulieri deinceps, quod omnibus his rebus fecerat inhabilem, domestica negotia curanda tradidit. Et quoniam hunc sexum custodiæ & diligentia assignaverat, idcirco timidiores reddidit, quam viriles: nam metus plurimum confert ad diligentiam custodiendi. Quod autem necesse erat foris, & in aperto victum quærentibus nonnunquam injuriam propulsare, idcirco virum quam mulierem fecit audaciorum. Quia vero partis opibus æque fuit opus memoria & diligentia: non minorem fœminæ, quam viro earum rerum tribuit possessionem. Tum etiam, quod simplex natura non omnes res commodas amplecti volebat, idcirco alterum alterius indigere voluit: quoniam quod alteri deest, præsto plerumque est alteri. *Columella lib. XII. cap. 1.*

VIII. 2. Nam vetus est proverbium, paupertatem certissimam esse, cum alicujus indigeas, uti eo non posse, quia ignoretur, ubi projectum jaceat quod desideretur: itaque in re familiari laboriosior est negligentia quam diligentia. Quis enim dubitet, nihil esse pulchrius in omni ratione vitæ, dispositione atque ordine? quod etiam ludicris spectaculis licet sæpe cognoscere. Nam ubi chorus canentium, non certis modis, neque numeris præeuntis magistri consensit, dissonum quiddam, ac tumultuosum audientibus canere videtur. At ubi certis numeris, ac pedibus, velut facta conspiratione consensit, atque concinuit: ex ejusmodi vocum concordia,